

**R**

ector et **Senatus** **Universitatis** **Amstelodamensis** **Rectori**  
**Senatuique** **Universitatis** **Sophiensis** **S.P.D.**

**R**ector **Senatusque** **Universitatis** **Amstelodamensis** natalem  
quinquagesimum gratulantur collegio docto **Rectoris** professorum-  
que **Universitatis** **Sophiensis**, quae post **Turcorum** iugum a cervi-  
cibus deiectum **Bulgarorumque** exortam denique liberationem lustro-  
rum decem hac periodo in iuventutem studiis deditam atque in pa-  
triam **Bulgaricam** variarum doctrinarum necnon utique veritatis  
lumen enixius effundere studuerit.

**E**x animi proinde sententia optamus nos expetimusque ut in  
**Sophiensi** vestra **Universitate**, quae **Clementem** illum **Sanctum**  
**Ochridensem** praeclaram **Bulgaricis** regionibus **Facem** praeferen-  
tem faustis omnibus **Patronum** sibi elegerit, doctrinarum vigeant  
floreantque illa studia, quae patriae **Bulgaricae** totique litterarum  
reipublicae perpetuo sint praeconio.

**I**nterpretem votorum, quae pro perenni **Universitatis** vestrae salu-  
te et incolumitate suscepit collegium doctum **Amstelodamense**,  
nostrum, clarissimum virum **Johannem** **Hendricum** **Guilelmum**  
**Verzijl**, **Universitatis** nostrae professorem ordinarium, libentissime dele-  
gimus, qui **Caerimoniarum** vestrarum officio praesens interesset  
**Documentumque** nostrum **Gratulatorium** feliciter vobis impertiret om-  
niaque **Fausta** **fortunata** **concordi** **mente** vobis auguraret.

Dabamus **Amstelodami** a.D. **MCMXXXIX**°, a.d. **XII** **Kal.** **Iun.**

*Successor*

**Rector** **Magnificus**

*Senatus*

**Senatus** **Actuarius**

